

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0299

0297

0303

0293

0308

0288

0348

0248

0398

0198

0798

287

et Templariorum virtus enituit. In eo etiam funestissimo proelio omnes nobiles et viri fortes ceciderunt, demtis paucis, qui capti sunt cum rege et magistro templi. Dicit Vincentius in Spec. Histor. L. 30 C. 43., quod ab eo die captivitatis sanctae crucis infantes, qui postea nati sunt, non nisi 20 vel 21 dentes habeant, cum antea 30 vel 33 habere solebant. Saladinus autem post victoriam fortunam suam secutus victorem exercitum ad expugnandas Christianorum urbes atque castella adduxit et maritima loca occupavit et primo omnium Ptolemaidem; deinde Berytum et omnia alia loca munitissima ad deditionem compulit, nec aliquam gravavit, quae sub ejus ditione et tributo manere voluisset, nec fuit ab Accon usque ad Ascalonem aliqua civitas, quae ausa fuisset resistere, utpote de suis defensoribus destitutae. Ascalonitae autem, eo quod inexpugnabilem credebant eorum civitatem, impetum Saladini paulisper retardantes urbem illi tradere noluerunt, asserentes, nulla ratione se civitatem resignare velle donec scirent pro certo, si Jerosolymitani cives eorum urbem sic resignarent. Quo audito Saladinus civitate obsidione vallata diebus X continuis aggressionibus impugnavit, sed nihil efficere potuit, erat enim Ascalon civitas munitissima, quam Gothfridus primus rex Jerusalem cepit, sicut dictum est fol. 274. Cujus memoria habetur in antiquissimis sacrae scripturae libris, ut patet.

Quomodo capta est Jerusalem civitas ab infidelibus et quibus meritis.

Saladinus autem videns, quod domare Ascalonem non posset nisi capta Jerosolyma civitate sancta, obsidionem Ascalonis solvit et cum omni apparatu bellico in multitudine gravi montana ascendit Judaeae, ut Jerusalem in eis sitam exercitu vallaret et caperet. Jerosolymitae autem cives et qui de vicinis locis undique hostium metu illuc confluerant, audita strage suorum et vivificae crucis amissione et regis captione et Saladini appropinquatione omni se supplicandi genere humiliabant. Agebantur ab omnibus Christianis ibidem (B) habitantibus sollemniter litaniae et confessiones et

Ende

Anfang